



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XLV. Ex qua virtute Deus justorum merita remuneret?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

homo acquirit jus ad præmium, ut infra dicemus; sed hæc justitia non potest dari inter hominem, & Deum, nisi interveniente promissione divina de opere remunerando; ergo &c.

946. Probatur minor primò ex illo Matt. 20. *Nonne ex denario convenisti mecum, tolle, quod tuum est; & vade: ubi tota ratio justitiæ ponitur in conventionem, & promissione Dei sub conditione operis. Secundò ex Concil. Mogunt. cap. 8. & Concil. Senonens. cap. 16. afferente justitiam nostrorum meritorum Non fundari in absolutâ condignitate nostrorum operum, sed magis in liberali. & gratuita promissione Dei, quâ, conventionem factâ, conduxit operarios. Et faveat Trid. sess. 6. cap. 16. dum dicit, justis bene operantibus proponendam esse vitam æternam Tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam. Tertio ex D. Aug. epist. 105. & lib. 4. contr. duas epist. Pelag. cap. 6. & serm. 16. de verb. Apostol. ubi tractans, an homo possit Deo dicere: Redde mihi: prius dicens, nos ex nobis non habere, unde istâ voce exigamus debitorem Deum, statim adjungit: Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes jussisti.*

947. Quartò ratione, quia meritum de justitia, & dat jus merenti, & constituit debitorem illum, apud quem meretur; siquidem repugnat, me habere jus justitiæ ad alterum, nisi ipse mihi obligetur ad illud jus reddendum, cum sit ratio reciproca. Unde meritò D. Paul. ad Rom. 4. *Et, inquit, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; sed qui ex justitia meretur, facit sibi debitum præmium; ergo ab aliquo facit debitum; repugnat enim aliquid esse debitum, quin ab aliquo debeat; sed non ab alio, nisi ab eo, apud quem meretur; meritum enim non dicit relationem ad alium; ergo meritum justitiæ apud Deum, ipsum constituit debitorem, ut tradunt D. Cyprian. lib. de oper. & elemosyn. sine D. Aug. Psal. 83. sine, & tract. 3. in Joann. D. Fulgent. ad Monim. in præfat. D. Bernar. de Grat. & liber. arbitr. & D. Chrysost. hom. 3. in Matt. Sed non potest ex parte Dei intelligi tale debitum, nisi ejus promissio præcesserit, quâ nobis aliquid promittit sub conditione operis; siquidem cum sit absolutissimus Dominus suorum bonorum, & omnia nostra opera sint ei aliunde debita, non potest obligari ad illa donanda, neque ad ista remuneranda, nisi ipse velit, & promissionem de eo liberè faciat; ergo &c. Ex dictis:*

948. Colliges primò, solam ordinationem in gratiâ habituali essentialiter inclusam, non sufficere ad proximum, & completum meritum gloriæ; licet enim justus ratione illius habeat jus physicum, & remotum ad gloriam, tanquam ad proprietatem gratiæ debitam; non tamen illud habet morale, & proximum absque nova Dei promissione; siquidem hoc confurgit ex nova voluntate Dei consentientis infallibile jus ad gloriam actu obtinendam; posset enim Deus gratiam conferre, & negare gloriam, & tunc justus haberet ad gloriam jus physicum, & remotum, non autem morale, & proximum.

949. Colliges secundò, promissionem non requiri, ut conferat operibus ex gratia procedentibus valorem physicum, sive condignitatem remotam; siquidem hanc habent à gratiâ, prout est quedam participatio Naturæ Divinæ, sed solum ad conferendum morale complementum meriti; alioqui non solum justus per opera à gratiâ facta possent condignè mereri gloriam, sed etiam peccatores per

Tom. 2.

contritionem possent condignè mereri gratiam; siquidem eodem modo promissa est gratia contritis, atque gloria justis.

Colliges tertio, ad perfectum meritum morale, & proximum apud Deum, non sufficere purum decretum internum Dei de danda gloria, absque ullo externo signo nobis manifestatum; siquidem jus in bona alterius ex natura rei non acquiritur, nisi per moralem collationem illius; sed quandiu talis collatio juris manet in sola voluntate domini interna, non censetur nobis moraliter collatum, sed adhuc manere apud dominum; tunc enim res fit nostra, quando exit à dominio, & voluntate donantis, & transfertur in donatarium; sic autem exit, & transfertur, quando signo aliquo externo transfertur in alterum; ergo &c.

Dices: Solum internum decretum ponit debitum retribuendi in Deo; ergo solum sufficit ad perfectum meritum inter nos, & Deum. Respondeo negando consequentiam; nam præter debitum in Deo, requiritur etiam jus in creatura; hoc autem non nisi externa manifestatione acquiritur; cum enim omne jus translatione acquiratur, omnis translatio signo aliquo manifestativo fieri debet; non tamen opus est, ut hæc manifestatio singulis personis fiat, sed satis est, si tantum fiat communitati.

Colliges quartò, quæ diximus de bonis operibus respectu præmii, intelligenda esse pariter de operibus malis respectu pœnæ; siquidem potuit Deus peccatum mortale, licet ex se condignum pœnâ æternâ, non punire; sicut de factò novâ pœnâ sensus, quæ jam damnati in inferno committunt. Unde sicut ad meritum in actu primo indifferens non requiritur obligatio in præmiante, neque connectio infallibilis cum præmio, ita neque ad demeritum: & sicut posito decreto de non conferendo præmio, adhuc opera bona dici possunt esse de se meritoria in actu primo, ita & opera mala dici possunt demeritoria.

SECTIO XLV.

Ex qua virtute Deus justorum merita remuneret?



ADVERTES primò ex P. Molin. tomo 1. de just. d. 1. P. Less. de just. lib. 2. cap. 1. à dub. 1. P. Vasq. 1. part. d. 85. & aliis infra citandis, justitiam tripliciter sumi: Primò latissime pro virtute constituyente æqualitatem cum regula rationis, & prout justitia comprehendit omnes virtutes; siquidem omnes dicunt hanc commensurationem, sive æqualitatem cum regula rationis. Secundò strictius pro virtute constituyente æqualitatem cum regula rationis in ordine ad aliud, & prout sic justitia complectitur religionem, gratitudinem, obedientiam, & similes alias virtutes, quæ dicunt ordinem ad aliud. Tertio strictissime, ac propriè pro virtute constituyente æqualitatem alteri debitam ratione juris, quod habet ad illam, eo tamen rigore, ut si tali juri quis non satisfaciat, irrogetur alteri injuria.

Advertes secundò, justitiam in hac tertiâ acceptione dividi in legalem, & particularem: legalis, quæ etiam generalis, & publica dicitur, procurat bonum commune Reipublicæ, existitque potissimum in Principe, utpote quæ dirigit ad condendas leges bono communi necessarias: & etiam in cive privato, quatenus dirigit ad obedientiam debitam

Zz 2

debitam præstandam legibus prospicientibus bono communi, etiam cum dispendio propria vitæ, ac bonorum. Particularis iustitia dicitur, cujus munus est providere bonis privatis civium, ac partium Reipublicæ, constituendo æqualitatem rerum cum privato eorum jure, & prout sic est una ex quatuor virtutibus Cardinalibus.

955. Advertes tertio, hanc particularem iustitiam subdividi in *Commutativam*, & *distributivam*: Commutativa est, quæ dirigit commutationes bonorum particularium, quæ in commerciis, & contractibus fieri solent inter cives Reipublicæ, spectando solum æqualitatem rei ad rem, debiti, & juris; dati, & accepti omnino independentes à conditione, & dignitate alterius personæ, proportionem, ut aiunt, arithmetica. Distributiva est, quæ dirigit distributiones bonorum communium, ut dignitatum, præmiorum, & honorum juxta conditionem, & aliarum personarum dignitatem proportionem, ut aiunt, geometricam, ita ut ea sit æqualitas, & proportio in bonis, quæ unicuique Judex distribuit, quæ est in personis, quibus ea distribuit, conferendo bona cum respectu, & ordine ad alias personas.

956. Advertes quarto, manifestum esse Deum conferre præmium meritis iustorum ex præscripto alicujus virtutis, quæ dicat ordinem ad alium; quæstionem igitur satis controversam inter Doctores esse, qualenam sit hæc virtus; an scilicet sit virtus fidelitatis, an iustitiæ; & qualis iustitiæ, distributivæ, an commutativæ? His positis.

957. Dico 1. Virtus, ex qua Deus merita iustorum remunerat, supposita ejus promissione sub conditione operis, non est gratitudo. Ita P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 30. num. 12. & tomo 1. in 3. part. d. 4. sect. 2. & in Releñ. de Libert. divina d. 2. sect. 2. P. Granad. P. Valent. P. Bellarm. & alii infra citandi. Probatur, quia gratitudo ex suo conceptu formali dicit ordinem ad compensandum beneficium ab alio acceptum, & alium respicit ut benefactorem, ut ait D. Thom. 2. 2. quæst. 106. art. 1. & ad 3. Sed Deus non potest respicere hominem, ut benefactorem sui, neque homo gloriari potest, quod beneficium aliquod Deo contulerit, ut videtur per se notum, & significatur in psal. 15. 2. ibi: *Ego dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egeſt ergo &c.*

958. Confirmatur primo, quia neque in Scripturis, neque in Sanctis Patribus tribuitur unquam Deo Attributum gratitudinis, cum tamen ei tribuatur veritas, fidelitas, iustitia, misericordia, liberalitas, magnificentia, beneficentia, dilectio, & similes virtutes; sed si gratitudinis affectus, opus, aut obligatio posset in Deum cadere, aliquod certe hujus rei vestigium in his libris, per quos Dei notitia ad nos pervenit, inveniretur; ergo &c. Secundo, quia in Deo, ut statim dicemus, non potest esse religio, pietas, aut obedientia; ergo neque gratitudo. Tertio, quia meritum hominis apud Deum, est obsequium, & servitium illi debitum, & non beneficium, quod Deo faciat, & Deus debeat gratificari; siquidem Deus, ut videtur per se notum ex illius majestate, & bonorum abundantia, est sibi sufficiens, omnium benefactor, & nullius beneficii indigens, aut capax, ut patet ex illo Psal. 49. *Deus, Deus tuus ego sum, non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: Meus est enim orbis terræ.* Et Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutilis sumus; sed nullus pro eo, quod est sibi debitum, debet agere gratias, & gratitudinem ostendere; ergo &c.*

Quarto, quia homo est Dei servus; sed servus, etiam inter homines, non est benefactor domini sui, neque dominus tenetur ei se gratum ostendere, neque in eo locum habet gratitudinis debitum; ergo multo minus potest Deus ex gratitudine ad hominem obligari ad beneficium recompenſandum; ac proinde remuneratio meritorum apud Deum non est ex debito gratitudinis.

Dices: Inter homines potest dominus ex gratitudine servo suo obligari, ut ex Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 21. docet D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 3. ad 4. ibi: *Quandiu servus præstat, quod à servo exigi solet, ministerium est, ubi plus, quam à servo necesse est, beneficium est. Et ideo servus ultra debitum facientibus gratia habenda; ergo etiam, licet homo sit Dei servus, quando ultra debitum, quod ab eo exigitur, Deo servit, illi gratia, sive gratitudo haberi poterit, & debeat Deus.* Respondeo primo, si argumentum aliquid probat, ex illo sequi, saltem opera præcepta non esse meritoria apud Deum ex gratitudine, cum illa sint necessaria obsequia, quæ Deus ab homine ut servo ejus solet exigere; ergo aut omnino meritoria non sunt, quod dici non potest; aut ex alia virtute, quam à gratitudine sunt remuneranda à Deo; ergo idem dicendum est de aliis operibus, cum omnia merita de condigno eadem virtute remunerentur.

Respondeo secundo, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia servitus hominis ad Deum est longe major, quam hominis ad hominem; nam homo, licet ut servus hominis sit illo inferior, est tamen illi æqualis, ut homo est, ideoque non est sub ejus dominio quoad vitam, & membra, neque etiam quoad omnes omnino actiones, sed tantum quoad illas, quæ sunt proportionate humano servitio, & commoditati, & possunt convenienter exhiberi: at verò respectu Dei homo est servus quoad omnia, & est quoad omnia sub ejus dominio, ita ut licet nunc quasdam tantum actiones homini præcipiat, & non alias, posset omnes bonas præcipere, & exigere, si vellet.

Inflabis: Homo plura opera bona, & meritoria facit, quæ sunt ultra debitum, quod ab eo exigitur, qualia videntur esse omnia opera ex consilio tantum facienda; ergo saltem pro his ei gratia, seu gratitudo haberi poterit, & debeat Deus. Respondeo cum P. Maldon. in Luc. 17, ad illud: *Servi inutilis sumus, & P. Soar. cit. num. 15.* Opera consilii, sive supererogationis, licet non sint Deo debita ex præcepto quoad exercitium (ut ita dicam), esse tamen debita debito gratitudinis, ut obsequia in honorem, ac reverentiam benefactoris exhibita; hoc enim debitum nunquam homo potest exhaustire, aut explere. Additur, etiam illa opera aliquo modo fieri juxta præceptum Dei, saltem conditionatum, quatenus homo, licet non teneatur illa facere, si tamen faciat, teneatur illa rectè, & honestè, ac in gloriam Dei facere, sub qua tantum ratione sunt meritoria; sicque non sunt ultra debitum, quod aliquo modo exigitur, aut exigi potest.

Urgebis: Opera bona iustorum, licet sint servi, cum sint condigne meritoria per gratiam, quando fiunt, ex affectu amicitie fiunt; sed quando quis affectu amici Deo servit, tale servitium est beneficium; siquidem ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 106. art. 3. ad 4. ubi in affectum amici transit, incipit vocari beneficium; beneficium autem gratitudinem exigit; ergo &c. Respondeo in talibus operibus, licet per gratiam factis, nunquam posse separari rationem obsequii debiti; imo etiam ille modus operandi ex affectu amicitie potest à Deo exig

exigi per modum servitii, & debiti obsequii. Preterquam quod ex gratitudine est illi debitum, ut proximè diximus; pro eo autem, quod est debitum, nulla gratitudo debetur.

964. Dico 2. Virtus, quæ Deus justorum merita remunerat, non est Religio, Pietas, Obedientia, aut alia similis. Ita Doctores citati, & infra citandi. Probatur primò, quia hujusmodi virtutes respiciunt alium ut superiorem, & excellentiorem; hoc autem Deo repugnat; ergo &c. Secundo, quia hujusmodi virtutes, neque in Scriptura, neque in Sanctis Patribus reperiuntur, ut Deo propriæ; ergo &c. Tertiò, quia Deus ad æqualitatem remunerat debitum resultans ex meritis condignis justorum; sed hujusmodi virtutes non respiciunt proprium debitum, neque illud æqualiter compenfat; ergo ex illis Deus justorum merita non remunerat.

965. Dico 3. Hæc virtus non est Fidelitas præcisè. Ita cum communi sententia Doctores citati, & citandi. Probatur, quia fidelitas præcisè sanctatur in simplici promissione, quæ non respicit aliquod meritum, sed solam voluntatem promittentis, ut omnes concedunt; sed remuneratio justorum, licet supponat voluntatem Dei liberè promittentis præmium, ut supra diximus, respicit tamen illorum merita condigna, & propter illa datur; ergo non fit ex Fidelitate præcisè. Dixi præcisè, quia non negamus, dari ibi fidelitatem, sed dicimus non esse simplicem, sed onerosam sub conditione operis, sic enim transit in rationem pacti, inducitque obligationem justitiæ: Sicut mercator postquam promittit vendere merces, & pecuniam acceptat, tenetur illas tradere, non solum ex fidelitate, sed ex justitiâ.

966. Dico 4. Hæc virtus, quæ Deus justorum merita remunerat, est propria justitia. Ita communis sententia, Doctores citati, & infra citandi. Probatur primò ex illo 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Quod de propria justitiâ debet intelligi juxta communem Patrum sensum, sicut debent alia Scripturæ loca intelligi, ut infra videbimus; ergo &c. Secundo ex Trid. sess. 6. cap. 16. ubi loquens de præmiò justorum, ait: Hæc est corona justitiæ, quam accipiat Apostolus à justo judice esse reddendam; ergo &c.

967. Probatur tertiò ratione, quia justus, suppositâ promissione Dei sub conditione operis, & supposito ipso opere condignè merito, acquirit jus ad ejus remunerationem; sed ubi intervenit tale jus, ei correspondet remuneratio ex propriâ justitiâ; ergo &c. Confirmatur primò, quia hujusmodi retributio est actio ad alterum, respiciens ejus jus, eique servans æqualitatem; sed hoc minus est proprium justitiæ propriæ; ergo &c. Secundo, quia eodem modo dicitur Deus remunerare merita justorum, quo dicitur punire demerita iniquorum; sed horum punitio provenit ex propriâ illius justitiâ punitivâ; ergo etiam illorum remuneratio ex propriâ illius justitiâ remunerativâ provenit.

968. Dico 5. Hæc virtus justitiæ in Deo potest dici justitia legalis. Ita D. Thom. 1. part. quest. 21. & 1. 2. quest. 21. art. 4. Scot. in 4. dist. 46. quest. 3. Richard. ibid. art. 2. q. 2. Aens. 1. part. q. 39. memb. 2. & cum illis P. Soar. tom. 2. de Grat. lib. 12. cap. 30. n. 21. & tomo 1. in 3. part. d. 4. sect. 4. loquens specialiter de præmiò meritorum Christi Domini, & in opuscul. d. unica, de just. Dei, sect. 4. num. 4. & alii communiter. Probatur, quia Deus voluit remunerare merita justorum præmiò unicuique proportionato, ut inde resularet bonum commune totius universi; hoc autem est proprium justitiæ legalis; ergo &c.

Confirmatur, quia actus Intellectus divini, prout Deus est supremus gubernator procurans bonum commune modo altiori, dicitur à multis prudentia politica; ergo etiam actus Voluntatis divina volens reddere unicuique rei id, quod illi suo modo est debitum, & proportionatum, ut exinde sequatur bonum totius universi, poterit dici justitia legalis.

Dico 6. Justitia, quæ Deus præmiò gratiæ, & gloriæ remunerat justorum merita accedit justitiæ commutativæ. Ita D. Thom. 2. 2. quest. 61. art. 4. ad 1. & videntur tenere Aureol. Alvarez, Cabrer. P. Soar. P. Valent. P. Azor. P. Rebel. P. Ragusa, P. Tanner. P. Ripal. & alii infra citandi. Probatur primò, quia Deus in Scriptura, ut ex locis infra citandis constabit, dum præmiâ justis dispensat, comparatur Patri familias conducenti operarios in vineam suam; & mercatori vendenti caelestes merces contractu emptionis, & venditionis; sed obligatio conductionis, emptionis, & venditionis est propria justitiæ commutativæ; ergo &c.

Probatur secundo, quia æqualitas dati, & accepti respicitur per se à justitiâ commutativâ, ut sentiunt omnes Theologi cum D. Thom. & Philosopho 3. Ethicor. sed Deus dum nostra merita remunerat respicit per se æqualitatem dati, & accepti, ut constat. Rom. 2. & Matt. 16. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Et 1. Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Ubi nulla fit mentio remunerationis faciendæ ex respectu, & ordine unius personæ ad aliam, prout exigitur ad justitiâ distributivam; ergo &c. Confirmatur, quia proprium est justitiæ commutativæ reddere debitum absque mutuo respectu, & ordine unius personæ ad aliam; sed Deus absque mutuo respectu, & ordine unius justii ad alium compenfat præmiò justorum merita, ut infra dicemus; ergo &c.

Dico 7. Justitia remunerativa nostrorum meritum accedit etiam justitiæ distributivæ. Ita D. Thom. 1. part. q. 21. art. 1. & lib. 1. contr. gent. cap. 93. & in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. q. 1. & alii. Probatur primò, quia proprium est justitiæ distributivæ distribuere bona communia pro dignitate personarum, respiciendo per se earum inæqualitatem ad inæqualem bonorum distributionem; sed Deus ita distribuit bona caelestia gratiæ, & gloriæ omnibus justis communia; siquidem non solum ea distribuit pro inæqualitate operum, sed etiam pro inæqualitate dignitatis personæ, in qua, cæteris paribus, inæquale est augmentum gratiæ, & gloriæ, ut infra dicemus; ergo &c.

Probatur secundo, quia proprium justitiæ commutativæ est æqualitas rei ad rem, & arithmetica; distributivæ verò æqualitas proportionis, & geometrica; sed Deus remunerans nostra merita, non servat æqualitatem arithmeticam, & rei ad rem, sed geometricam, & proportionalem; siquidem præmium gratiæ & gloriæ correspondens operibus nostris, longè superat nostra merita; ergo hac ex parte potius accedit ad justitiâ distributivam, quam ad commutativam.

Dices: Hæc remuneratio supponit promissionem, & pactum Dei cum hominibus sub conditione operis, quasi Deus dicat: dabo tibi in præmium vitam æternam, si feceris tale opus; sed hoc stare non potest cum justitiâ distributivâ; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam etiam quando Princeps terrenus proponit præmium certantibus, datur pactum sub conditione operis, sive certaminis; & tamen præter justitiâ commutativam, intercedit ibi distributivâ. Neque obstat, quod justus, quam ad commutativam.

facto inito, & meritis positus, acquirat jus rigorosum, & commutativum ad primum; siquidem cum hoc stare potest aliud jus minus rigorosum secundum diversam formalitatem, quod pertinet ad justitiam distributivam.

974. Dico 8. Licet justitia remunerativa Dei aliquid participet de commutativa, & aliquid de distributiva, ut diximus, magis tamen accedit ad specificam rationem commutativam, quam distributivam. Ita P. Ripal. *tomo 2. d. 83. num. 83.* & videntur tenere plures alii infra citandi. Probatur, quia hæc justitia non participat propriam, & principalem differentiam justitiæ distributivæ, prout hæc à commutativa recedit; ergo minus ad hanc, quam ad commutativam accedit.

975. Probatur antecedens, quia ad justitiam distributivam, prout differt à commutativa, exigitur, ut Deus gratiam, & gloriam tribuat cum mutuo respectu unius ad alium, ac dependentia unius ab alio, ita ut Petrus accipiat magis, quia Paulus accepit minus, accepturus tamen minus, si Paulus acciperet magis, quod justitia commutativa non servat, etiam si interdum pluribus personis stipendium, & mercedem pro cujusque merito distribuat; sed Deus non tribuit Beatissimum primum cum hac proportionem, & respectu mutuo unius ad alium; siquidem eisdem gradibus gratiæ & gloriæ potiretur Petrus, etiam si Paulus, & alii Beati plus, minusve accepissent; cum non sit credibile D. Petrum minus gratiæ & gloriæ accepturum pro suis meritis, si D. Paulus plus, quam de facto meruit, & accepit, meruisset, & accepisset; ergo Deus retribuens primum justorum meritis non exercet justitiam distributivam strictam, prout hæc differt à commutativa; ac proinde hujusmodi justitia remunerativa Dei magis accedit ad commutativam, quam ad distributivam.

976. Hactenus diximus, Deum remunerare justorum merita condigna ex obligatione justitiæ, tum legalis, tum distributivæ, tum magis propriè commutativæ. Sed cum hæc doctrina hactenus tradita magis supponat, quam probet, posse Deum hominibus obligari ex stricta justitia, lentiùs hic de hac questione agendum nobis est: tum quia hic à pluribus tractari solet: tum quia ex illius discussione, & explicatione dependent alia hic, & alibi intelligenda: tum etiam quia sic faciliè solventur, quæ contra præcedentes conclusiones adduci poterunt, quin opus sit alias materias investigare. Sit igitur.

SECTIO XLVI.

Utrum Deus possit hominibus obligari ex propria, & rigorosa justitia?

977. PRIMA sententia negat, posse Deum strictam, ac rigorosam justitiam hominibus obligari. Ita *Alens. 1. part. q. 39. memb. 1.* *Albert. 1. part. q. 80. memb. 2. art. 2. p. 2.* *Durand. in 2. dist. 27. q. 2. & in 4. dist. 46. quest. 1.* *Palud. ibid. art. 1. conclus. 3. & 4. Greg. in 1. dist. 17. q. 1. art. 2. conclus. 2.* *Major. in 2. dist. 27. q. unica.* *Marfil. Scot. in 4. dist. 46. q. unica.* § De primo videndum. *Bassol. ibid. art. 1. Gabr. Trigosus in 1. part. D. Bonav. Pesant. Lorca. Salon. Medin. Stapleton. Ofor. Navarret. Bannez.* Item ex nostris, P. *Vasq. 1. part. d. 85. & 86. & 1. 2. d. 213. & tomo 1. in 3. part. d. 8. &*

tomo 4. q. 85. art. 3. dub. unico. P. *Mol'n. 1. part. q. 21. art. 1. §. Quinto addendum.* & *tomo 1. de Just. d. 7. §. Observa. P. Arrub. 1. part. q. 21. art. 1. num. 5.* P. *Less. lib. 2. de Justit. cap. 18. dub. 8. num. 57.* & *lib. 11. de Perfect. Divin. cap. 6. à n. 61.* P. *Torres. 2. 2. tomo 1. d. 5. dub. 1. n. 7. & dub. 2. num. 1. & d. 6. dub. 2. P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 3. & tomo 2. de Sacram. d. 1. de Penit. dub. 4. n. 23.* P. *Becan. de Incarnat. cap. 15. conclus. 3.* P. *Gasp. Hur. ibid. d. 1. diff. 10. P. Marat. tomo 2. tract. de Just. d. 14. P. Lug. tomo 1. in 3. part. d. 3. P. Sanch. lib. 4. sum. cap. 11. n. 8. & alii.*

Secunda sententia affirmat, posse Deum hominibus obligari propriam, ac veram justitiam à commutativa, & distributiva præcedente. Ita *Magist. in 4. dist. 46. §. Sed quomodo.* D. *Bonav. ibid. art. 1. q. 4. & in 2. dist. 27. art. 2. q. 3.* *Aureol. in 1. dist. 46. art. 1. & 4. Agid. in 2. dist. 27. q. 2. art. 3. & 4.* *Richard. in 4. dist. 4. art. 1. q. Argent. ibid. q. unica.* *a. 4. Carthusian. ibid. q. 1. & in 2. dist. 27. q. 2. Capresl. in 1. dist. 45. q. unica.* art. 1. *Deza. Caiet. 2. 2. q. 6. a. 4. ad 1. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 93. §. Sed dubium.* *Sot. lib. 3. de Just. q. 5. art. 4. Richard. Vega. Hostus. Aragon. Zumel. Rub. Cabr. Alvarez. Sylvius. Ledelm. Faber. Montesin. Ripa. Albelda. Nazarius.* Item ex nostris, P. *Bellarmin. lib. 5. de Justific. cap. 14. 16. & 17. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 30. & tomo 1. in 3. p. d. 4. sect. 5. & 6. & Opusc. de Liber. Divin. d. 2. sect. 2. & opusc. de Just. Dei. P. *Valent. 1. p. q. 21. pun. 1. P. Ragusa in 3. p. d. 3. §. 6. & d. 10. §. 2. P. Azor. 10. 3. lib. 1. cap. 10. q. 3. P. Sal. tom. 1. in 1. 2. 17. 7. d. 7. num. 5. P. Albertin. tomo 1. Corol. quest. 18. ex primo princip. dub. 3. P. Rebel. lib. 1. de Just. quest. 4. sect. 3. P. *Granad. 1. part. tomo 2. tract. 7. d. 4. sect. 2. P. Tanner. tomo 4. d. 1. q. 2. dub. 6. P. Ruiz. de Volant. Dei. d. 58. P. Petr. Hur. tomo 1. in 3. part. d. 12. sect. 13. P. Raynaud. lib. 3. de Virtut. num. 59. P. Fasol. 1. part. q. 21. art. 1. P. Arriaga tomo 3. d. 31. & de Incarnat. d. 11. à sect. 1. P. *Prapost. 3. part. q. 1. art. 2. dub. 4. P. Compton. tomo 1. d. 35. sect. 5. & alii.****

Advertes primò, quæstionem non esse, an hæc justitia obligatio sit adeò stricta, & rigorosa, & omnem prorsus gratiam Dei largientis præmia excludat, ut plures primæ sententiæ hæc justitiæ obligationem intelligunt; siquidem utriusque sententiæ duces admittunt, plurimam misceri gratiam in remuneratione meritorum: tum ratione auxiliorum præcedentium merita: tum ratione promissionis divinæ ultro proponentis præmia: tum ratione justificationis gratuitæ ad merendum necessarie: tum ratione largitatis acceptantis ad mercedem obsequia, quæ innumeris titulis exigi poterant, ut debita; quæ omnia nullus Theologorum negat præsupponi ut omnino gratiosa à Deo; sicque obligatio justitiæ, de qua agitur, non excludit gratiam Dei antecedentem, sed eâ positâ, inquitur, an possit Deus aliquo jure creaturæ obligari?

Advertes secundò, non esse controversiam, an Deus sic obligetur ex justitia, ut à se abdicet dominium præmii, quod confert? Ut aliqui necessarium judicant ad justitiam in Deo admittendam; siquidem etiam Doctores, qui illam admittunt, concedunt illam prout sic Deo repugnare, negantque prorsus dominium Dei absolutum esse à Deo abdicabile; cum enim sit Attributum ipsi Deo necessarium, nulla ratione libero ejus arbitrio subiectum est. Unde sola difficultas est, utrum hoc supremum dominium Deo necessarium, possit componi, & stare cum obligatione justitiæ, quam jus meritorum creaturæ Deo imponat ad præmia ei retribuenda?

Advertes